

1576

parcere : insueto terrore mortales correpti urbem destituere , adventantia pericula fuga tantum vitare se posse rati ; inde a negotiis pertractandis abstineri ; magistratus antea fastidioso ambitu expetiti negligi ; mercatura deserri ; atque in oppida agrosque , Patavinos præsertim ac Tarvisanos , civitas effundi ; tabernæ clausæ ; mercatoria via hinc atque inde continuato officinarum ordine prædives squalida , ut justitium civitati inditum videretur , patronorum & clientium discessu judicia sublata , cuncta horrorem lethumque portendere . In eo rerum statu , veluti reliquis luminibus extinctis , Aloysius Mocenicus Princeps una cum Senatu præfulgebat , neque tot fluctibus jactatæ civitati deerat . Ceterorum magistratum , Decemviris , ac Quadragintaviris capitalibus exceptis , jura omnino filebant , & quamvis senatorii quoque ordinis multi interirent , & non nunquam qui mane in Patrum collegio sententiam dixisset , ad vesperum pestilentia correptus fato concederet ; frequens tamen toto eo tempore Senatus fuit ; ac non modo urbana negotia , verum externa quoque tractavit , & eos , qui publicis munieribus fungebantur , intra certum tempus in urbem redire , ab eaque , severissimis propositis poenis , egredi vetuit . At secus in majoribus comitiis res se habuit , in quibus cum supra mille trecenti patricii de more adnumerarentur , vel absentia vel metu eorum , qui frequentiam salutis causa oderant , perraro toto eo tempore trecentorum summam æquavere ; licet nunquam statis diebus a magistratum creatione cessaretur . In eo potissimum Patrum laborabat industria , ut quacumque ratione vis morbi , si minus tolli , at saltē obtundi posset ; præstantissimum usu magistro remedium rati , ut , sanis ab ægris secretis , extra urbem morbi fomenta amandarentur . Edicto quoque cautum , ne , qui decimum atque octavum annum non excederent , egredi vicinia possent .

At nullis repagulis aut aggeribus cohiberi lues poterat ; reliquis quoque ægritudinibus , in humanis corporibus gigni asfuetis , in pestilentiam desinentibus . In urbe quotidie ducenti , extra urbem in insulis , in quas ægri deportabantur , sexcenti , præter illos qui animam in itinere efflabant , absumentur . Complura solerti cura atque agitatione commenta inani irritaque experientia adhibebantur , ingenti morbi vi huma-

nis

Mocenici
Principis
& magi-
stratum
constantia
in Republi-
ca regenda.